cionis insidet / quam incurvat spiritus avaricie / quam impingit
spiritus invidie . quam infrenat spiritus cenodoxie / quam fe-
dat spiritus luxurie / quam extollit spiritus superbie / quam de-
pascit spiritus gule . sedes regales non habebit. Sedebit
autem super sedes regales in iudicio . qui carnem suam
domat . qui avariciam calcat . qui luxuriam amputat . qui
cervicem suam humiliat . qui vanam gloriam contempnit . qui in-
vidiam reprimit . qui post Christum ambulans . crucem suam
accipit. Tales non recusat sedes regales . talibus enim
debentur. Sapiens architectus sedes quas iam dudum collo-
caverat in celo . quia et sessores paravit cum crearet angelos.
lapsi quidem sunt nonnulli in abusione et superbia cordis.
et sic ex parte sine sessore facte sunt regales sedes / quia
qui in veritate non stetit . remanere in celesti sede non
potuit. Ut itaque pararet ydoneos sessores a suis
regalibus sedibus ad nostra sterquilinia descendit pius
dominus. Venit quippe in terra pauperes quos in celo
faceret divites. venit ad exules. ut faceret consules.
venit ad egrotos. ut sanaret. venit ad cecos.
ut illuminaret. venit ad mutos. ut loquelam redderet.
venit ad immundos. ut mundaret. venit ad impios. ut
converteret. venit ad eiectos. ut reduceret. venit ad
desperatos. ut spem reponeret. venit ad miseros.
ut beatos efficeret. venit ad mestos. ut letificaret /

Tractatus collectus ex diversis. de duodecim dentibus
spiritualibus. scilicet cogitacionibus acutis. quibus verum eucha- laus
ristie venerabile sacramentum a celebrantibus et communican-
tibus est masticandum ut eius dulcedo senciatur

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/Hs-84/0028
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt